


ANTHONIS
STATUS
OLOGIAE

AB

67 $\frac{10}{C, 14}$





1 phil: Melanthonis:
 oratio vii. Epist: pauli
 ad Romanos:
 Hagone, 1529.

2 ——— in proverbis
 Salamonis:
 Hagone, 1529

3 — an liceat Christianis
 litigare in iudicio
 Hagone 1529

4 — ubi deo est yobuff.
 Wittenberg 1525

Handwritten scribbles and initials in the bottom left corner.



CHRISTIANIS,

an liceat litigare in ludicio.

Philippo Melancthone authore.

Haganoæ, per Iohann. Secer.
Anno M. D. XXIX.

PHILIPPVS

MELANCHTHON, CA.

sparo Mullero, Cancellario Comitis
à Mansfeld.

Quatenus ista probet Ciuilia munera Christus
Nosse, operæ pretium, Caspare, id esse puta.
Hæc ignota scholis, quondam res tota iacebat,
Et uelut æterna nocte sepulta fuit.
Quam nunc in lucem melior cum protulit ætas,
Spreta tamen modo adhuc & sine honore iacet.
Nemo uirtuti meritos impendit honores,
Et quotus è populo, te bone Christe colit?

AN LICEAT

Christianis litigare .



N omnibus ne-
gocijs prestandū
est, ne quid susci-
pamus contra cō-
scientiam . Proin-
de, cōsulendum
est Verbum Dei, quod omnia no-
stra consilia gubernet . Quale iudi-
cium Dei impendeat, nemo igno-
rat . Ne habēt in hac uita secundos
successus impia consilia . Quidam
cum dubitante conscientia aliquid
agunt, ex illa dubitatione incidunt,
uel in desperationē, uel in blasphe-
miam, & manifestum Dei contem-
ptum . Sicut Sacerdotes, cum non

A ii

CHRISTIANIS AN

legebant horas Canonicas, paulatim induebant contemptum Dei, & amissa spe salutis, omne studium religionis abiiciebant. Alij minus mali, angebantur ad desperationem usque, idem accidit in similibus rebus. Si quis litigat dubitans utrum id Christiano liceat, cum & peccare se putet, & desinere non possit, induit contemptum Dei. Hæc impietas facit, ut litiget etiam hostilius, experitur omne genus calumniarum ad opprimendum aduersarium. Nec dubium est, quin boni uiri, si scirent, quatenus Christiano liceat litigare, minore acerbitate contenderent, ea tenus uterentur auxilio iudiciorum, quatenus sine peccato possent. Quotus quisque enim est etiam bonorum uirorum,

LICEAT LITIGARE.

rorum, quem nō casus aliquis in fo-
rum ac iudicia pertrahat. Quidam
dicunt perfectionem esse, non li-
tigare. Nos perfectionem Christi-
anam collocamus in timore perfe-
cto, fide perfecta, charitate perfe-
cta. Res externæ, cibus, potus, diui-
tiæ, genera uitæ licita, proprie, nec
perfectos reddūt, nec imperfectos.
Sicut neq; cucullus, aut lignei calcei
Monachorum, ad perfectionem fa-
ciunt. Sed ut alijs bonis Dei creatu-
ris male utuntur plurimi, ita et foro
male uti multos uidemus. Auro,
Magistratibus, cibo, potu, quam
multi abutuntur, ita etiam iudicijs
multi, cupiditati suæ, aut odio mo-
rem gerentes, abutuntur. Nos abu-
sum non probamus, de re loqui-

A iii

CHRISTIANIS AN

mur, & bonorum uirorum consciē
tijs cōsultum uolumus, qui graues
& iustas causas litigandi habent,
qui sine odio ciuilit̄ disceptāt, qui
seruiunt, non cupiditati, sed necessi
tati, qui nō hoc agunt, ut circumue
niant arte aliqua aduersarium. Est
autem triplex questio, una de Acto
re, altera de Reo, tertia de Causidi
co. Quod autem liceat accusare ali
quem in iudicio, uel uocare in iudi
ciū, hinc intelligi potest, sicut Chri
stiano licet uti cibo & potu, ita licet
iudicijs uti, quia sunt ordinationes
Dei, seu bonæ creature Dei. Paulus
enim ordinationes ciuiles, uocat or
dinationes Dei. Sicut igitur Paulus
permittit, emere, uendere, ita conce
ditur ut litigent Christiani, si tamē
regulam

L I C E A T L I T I G A R E :

regulã seruent, ut mundo utantur,
nõ abutantur: hoc est, si sine impro-
ba cupiditate, sine odio litigēt. Pau-
lus ait, Magistratum honori esse bo-
nis, seruire autē Christianis ad pec-
candum, nõ ad honorem, si implo-
rantes opem Magistratus peccarēt.
Quomodo em̄ honori est Christi-
anis Magistratus, si turpe est Chri-
stiano uti auxilio Magistratus? Et
cũ liceat Christiano petere in pub-
lica uia a Magistratibus defensio-
nē aduersus latrones: cũ liceat in bel-
lis petere, ut aduersus hostes tega-
mur, cur in solis iudicijs, non licet
defensionem petere? Consequitur
igitur licere de iniuria queri apud
Magistratus, item Paulus prouoca-
uit ad Cæsarem. Est autem prouo-
catio, agere in iudicio.

A iiii

CHRISTIANIS AN I

Christus sine lege adparuit, nec
uenit, ut nouas leges ferret, sicut
somniaut quidam, Iudaicas leges la-
tas esse, ad ferocem quandam multi-
tudinem coercendā. Postea Chris-
tum uenisse, ut ad suefacto iam mū-
do, ad meliores leges recipiendas,
ferret nouas leges procul a ciuili cō-
suetudine abhorrentes, putant legē
Christi esse, nihil possidere propri-
um, nulla defensione neq; iuris, neq;
Magistratum uti, non gerere Ma-
gistratus, ita ex Euangelio legē quā-
dam faciunt, & ex iustitia Christia-
na quandam ridiculam hypocrisim
certorum operum. Nō abolet Chri-
stus ciuilis uitæ instituta, sed æter-
nam quandam iustitiam adfert. For-
is uti sinit sine discrimine legibus,
& mo-

III A

LICEAT LITIGARE.

& moribus omnium, apud quos uiuimus. Sic Daniel apud Assyrios ac Persas, illorum more Rempub. administravit, ius dixit, accusavit, puniuit ciues improbos, ita Christiani utuntur alibi alijs legibus ac moribus, sicut alibi alijs dierū spatijs utuntur. Nō igitur satis intelligūt, uel Euāgelij uim, uel libertatē Christianam, qui alligant nos ad huiusmodi leges, quæ lædunt politicas ordinationes.

Adhæc, cum non tollat Christus ordinationes ciuiles, non uetat tenere proprium. At id sine iudicijs teneri nō potest, iure prætorio, res & occupantur & retinentur. Postremo, cum nullus locus clare prohibeat litigare in iudicio, quid opus

A v

CHRISTIANIS AN

est Euangelio legem adfingere?

Sed obijcitur locus in Matthæo
Capite quinto: Volenti tecum con-
tendere in iudicio, & tunicam tuam
auferre, cōcede & pallium. De hoc
loco uarie iudicauerunt ueteres, ue-
rum res cogit, ut intelligamus eum
de priuata uindicta, quod prohi-
beat Euangelium omnem priuatā
uindictam. Nam hoc totum caput
ita accipiendum est, ut non abroget
politicum regnum. Veteribus ait,
dictum est: Oculū pro oculo. Ego
autem dico uobis &c. Hic Christus
nō abolet ciuiles ordinationes, sed
docet Apostolos, quod non insti-
tuat regnum mundi, sicut ipsi som-
niabant. Nam in hac opinione erāt
Apostoli, Christū uenisse, ut resti-
tueret

LICEAT LITIGARE.

teneret libertatem Iudæorum, & regnū ciuile. Sed Christus in his uerbis clare profitetur, se nō dare Apostolis potestātē, occidēdi homines, & uindicandi. Vult illa legitimis Magistratibus permitti, præter Magistratus nemo debet ulcisci, nemo occidere, nam Magistratibus hoc ius alijs locis concedit Euangelium Rom. xiii. Vindicta Dei opus est, id per Magistratus fieri, non uetat Christus. Præcipit autem in genere, ut uacent odio, iracundia, concupiscentia, omnes & priuati & qui imperant. Quidam interpretātur hūc locum consilium esse, quorum sententiā nullo modo ferenda est: si em̄ consilium esset, liceret etiam uindictam omittere Magistratibus. Item

15110070

CHRISTIANIS AN

liceret uindicare priuatis, quia non uiolarent præceptum, sed tantum consilium. Nos igitur constanter hunc locum interpretamur præceptum esse, & prohibere odium, cupiditatem uindictæ, & omnem priuatam uindictam, interea ius suum Magistratui non eripitur. Præterea si hic locus nullam recipit commo- dam interpretationem, nec reo licebit in iudicium uenire. At de reo innocente non dubium est, is enim & uenit, mandato potestatis coactus, et ut de re cedat, ac toleret iniuriam, certe nullo modo debet tacitus probare aduersarij falsam & eumentitam actionem. Nihil igitur peccat reus innocens, cum excusat se, nec agnoscat crimen quod obiicitur. Quare oportet

LICEAT LITIGARE.

oportet hunc Matthæi locum sic accipere, quod priuatam uindictam, & uindictę cupiditatem prohibeat, si Magistratus non defenderit innocentem, ferat iniuriam. Sic accipiendus est & locus Lucae sexto capite: Ab eo qui aufert tua, non reposce. Neque enim prohibet admonere, ut furtum restituatur, sed prohibet ui priuata recuperare, interea non prohibet queri iudici, & implorare iudicis auxilium. Neque enim Euangelium licentiam improbis & uiolentis concedit, sed uult eos auctoritate Magistratuū coherceri & puniri.

Obiicitur & illud in priore ad Corinth. Capite sexto: iam quidem delictū est inter uos, quod lites habetis inter uos. Paulus non damnae

2911090

CHRISTIANIS AN

iudicia, permittit enim, ut coram arbitris disceptent. Sed si disceptatio coram arbitris licita est, cur non esset licita coram iudicibus? Tantum hic scandali causa uetat contendere coram iudice Ethnico.

Quod uero postremo ait, delictum esse, quod sint lites inter eos, constat in omni controuersia, alteram partem iniustam esse. Arguit igitur Paulus eos, qui iniuriam inferebant, cum queritur esse inter Christianos, qui iniuriam inferunt, non propterea omnes accusat fontes & infontes.

Possunt obiici & alij loci: Da omni petenti te. Sed hic meminerimus Euangelium non praecipere, ut facultates in commune diripiendas conferamus. Largas eleemosynas dare

LICEAT LITIGARE.

dare precipit, non abrogat ius publicum de rerum diuisione.

De reo non dubium est, ut ante diximus, quin liceat ei uenire in iudicium. Cogitur enim mandato potestatis, cui obtemperare eum oportet. Deinde cū falsum crimen obicitur, non debet mendacium aduersarij probare, ne communicet illius peccato. Sed debet se purgare, si iniuriam iudicio circumuentus, iniuria adficietur, non uindictam ui priuata, postquam a iudicio non defensus est. Eo referat locus Matthæi quinto: Si abstulerit pallium, concede et tunicam. Quasi diceret, ne uindictam iniuriam priuata ui, si te defenderit Magistratus, eam defensionem & uindictam, scias Dei opus esse.

CHRISTIANIS AN

Nec de Causidicis dubium est, quin possint patrocinari alijs, sunt enim ministri, non litigantium, sed potius iudicis. Sicut iudici licet cognoscere controuersiam, ita licet adhibere, qui possunt eam perspicue exponere, siue illi sumptu Magistratum, siue litigantium alantur. Sed & litigatores & causidici, seruent regulam, ut mundo utantur, non abutantur. Nos enim hæc non scripsimus his, qui in iudicijs morem gerunt cupiditatibus suis.

Necesse est magnum robur charitatis esse in eo, qui sine odio litigaturus est. Quare cum periculum sit ne augeantur odia inter litigandū, dehortandi sunt homines, a re periculosa, sicut nauigationem dehortamur,

LICEAT LITIGARE.

tamur, nō quod sit illicita, sed quia periculosa sit. Vinum etiam sepe interdicitur his, qui bibunt auidius, ne quid mali faciant poti: ita prodest non litigare, non quod uti auxilio Magistratus sit illicitum, sed ne magis accendantur odia. Sicut liberum est, uinum bibere aut nō bibere, ita liberum est, litigare aut nō litigare. Sed ut alicubi uinum bibere periculosius est, ita sæpe minus habet periculi, ferre iniuriam, nec aduersarium uocare in iudiciū. Et boni uiri, exempli causa, fugiant lites, nam cum litigant, inuitantur eorum exemplo alij ferotiores, ac idē sibi licere putant, cum non sciant mundo sic uti, ne abutantur.

B

F I N I S.

PSALMI

ALIQVOT, IN VERSVS

coniecti, per Iacobum

Mycillum.

DOMINI EST TERRA.

Solus in hoc Dominus res omnes temperat orbe,
Et mundum imperio continet ipse suo.

Atq; hominum cursus, pecudes, uariasq; uolucres

Atq; regit, pontus quicquid & aether habet.

Primus enim magno fundauit in aequore terram

Et stabili in medijs pondere fixit aquis.

Quaeq; prius dubio, pendeat in aere nisu,

Immotum uentis, iussit habere locum.

Non igitur Domini quiuis penetrabit ad arcem,

Aut poterit summi iussa uidere patris.

Non animo quisquis uiuit corruptus auaro,

Aut quem magnarum uexat Erinny's opum.

Nec qui perniciem, fraudemq; intendit egenti,

Aut miseros falsa circuit arte uiros.

Aut cui relligio populi simulata fauorem

Conciliat, blandis mistaq; uerba dolis.

Sed

P S A L M V S.

Sed quem cana fides, & fuluo carior auro
Commendat pietas, cordaq; sancta Deo.
Qui faciet, quodcunq; Deo placuisse uidebit,
Votaq; diuino ponet in arbitrio.
Hunc Dominus placido quondam solabitur ore,
Et solitum, ad uitam ferre, docebit iter.
Hunc teget & rerum per tot discrimina tutum,
Pacatis faciet tendere uela notis.
Dentq; talis erit, qui summi dogmata patris
Queret, & aeternae foedera pacis amet.
Atq; tua sacide uestigia rite sequendo,
Ardua non uanam sternat ad astra uiam.
Quare agite o magnae cultores undiq; terrae
Afficite, & summo credite cuncta patri
Huic omnes submitтите opes, rerumq; potenti.
Cedite, & hinc uestris poscite rebus opem.
Hic pater & princeps, hostes hic conterit omnes,
Nil metuens regum, praelia, tela, minas.
Huius & aeternum durat per secula nomen
Ventura, ac omni gloria sine caret.

B 2

F I N I S.

PSALMVS

DIXIT DOMINVS.

Quæ noua cœlesti superum regnator ab arce
Promittit Domino scepra tenenda meo?
Qualia uenturæ laudabunt secula gentes?
Quæ facies rerum? qui status orbis erit?
Cum ueniet nostra qui quondam ab origine natus
Et uindex scelerum, & pacis amator erit.
Qui uictor medios inter dominabitur hostes
Et premet imposito colla superba iugo.
Fœlix ô nimium rupes Sionia, fœlix
Auspicium regni prima datura noui.
Primaq; uictoris lætos uisura triumphos,
Inq; tuis iterum fixa trophæa iugis.
Nam subito patrias postquàm moderator habenas
Ceperit, & regni crescet honore noui
Et iam purpureo consurgens clarior horto
Viuendi leges, iuraq; sancta dabit
Impia posteritas, gentis nascetur Hebrææ
Quæ caput hoc ferro contemerare uolet,
Audebitq; necem, diramq; intendere mortem
Vnde salus, uirtus, gloria, uita uenit

Quiq;

P S A L M V S.

Quiq; fuit precibus toties, uotisq; petitus,

Siue Abrame tuis, Isace siue tuis.

Quâ licet, immani periturus fraude nepotum

Sentiet hic nostræ uulnera sæua domus,

Et quod nulla unquam poterit abolere uetustas,

Hoc patrum faciet degener illa, nephas.

Heu rabies hominum, cæcæq; insania gentis

Sic oblita tui nominis esse potes?

Nec te tanta noui quondam miracula regis,

Nec præsens pietas, & benefacta mouent?

At non longa tui durabunt gaudia cœpti,

Teq; grauis multo scœnore pœna manet.

Nam medios inter surget rediuiuus ouantes,

Et petet ultrici castra relicta manu.

Et te securum premet inter cepta, nouoq;

Victori, uerso Marte, triumphus eris.

Tum, uelut amotis ueniens aurora tenebris

Cum reuehit pulchrum, pulchrior ipsa diem,

Plurimus è celso manat ros uertice cœli,

Et reparat succis gramina fessa nouis.

Sic ubi puniceo ductor sublimis in ostro

Signa triumphato proferet hoste noua,

Innumeri passim uictoris castra sequentur,

Et ductu tanti Principis ire uolent.

B 5

P S A L M V S.

Ipse quidem folio residens uenerandus auito,
 Constituet populis foedera certa suis.
 Sæuâq; propellens fragilis discrimina uitæ,
 Tempora tranquilla pace beata reget.
 Atq; hæc primus eris quondam pulcherrime Sion,
 Qui cernas fatis condita regna nouis.
 Isq; tua primum factis clarescet in arce,
 Qui nos uult summo conciliare Deo.
 Nam nõ sceptrâ, modo, geret aut diademata regum,
 Aut pacis princeps exterioris erit.
 Sed uelut æterno, placuit sententia patri,
 Quam uis annorum soluere nulla potest.
 Ipse sacerdotis faciet quoq; munera summi,
 Grataq; pro nostro crimine sacra dabit.
 Ac ueterem læsi placabit numinis iram,
 Et pacem nostris mentibus ille feret.
 Hocq; iter ad placidum faciet remeabile patrem,
 Quod petulans morsu clauserat Heua suo.
 Dumq; pijs animis reparet cœlestia regna,
 Occidet, æthereo uictima grata Deo.
 Nec tamen, aut pecudum torrebit uiscera flammis,
 Aut ponet sacris exta cremanda focis.
 Aut procul à nigris uenientia thura Sabæis,
 Offeret, aut frugis munera salsa nouæ.

Qualia

P S A L M V S.

Qualia fama refert proprios Aarona nepotes,
 Quondam Sinaicis erudijſſe iugis.
 Sed nouus ille patri, faciet noua sacra ſacerdos,
 Ablato ueteris more miniſterij.
 Ac uelut Abramo ſpolijs hoſtilibus aucto,
 Cum peteret Solymi regia tecta ducis.
 Obuius & rerum ſucceſſu lætus, ouanti
 Melchizedec uerbis dicitur iſſe pijs.
 Multaq; gratando uictori, multa precando,
 Vt idico tales ore dedijſſe ſonos.
 O nimium dilecte Deo, cui militis enſis,
 Et ualida regum ſuccubere manus.
 Cuncta tibi ſuperũm uertet ſœlicia rector,
 Et cedent uotis omnia coepta tuis.
 Has mihi ſœlici de te ſpes omine firmat
 Qui tua corda regit, qui tua facta regit.
 Qui ſeruat quodcunq; tui eſt, qui fata gubernat,
 Teq; inter uitæ mille pericla tegit.
 Talia pro nobis noſter quoq; uota ſacerdos,
 Et faciet tales ore fauente preces,
 Orabitq; patrem, per tot discrimina uitæ,
 Vt faciles curſus præbeat, atq; uias.
 Vt ueniam miſeris donet, culpamq; remittat,
 Et faciat regni parte ſedere ſui.

P S A L M V S.

Hæc igitur series, nullo metabitur æuo
Hunc minuent regis tempora nulla statum.
Sed simul incipiet, per secula cuncta nepotum.
Idem hominum Princeps, atq; precator erit.
Quo uos ò Domino cuncti parete futuro,
Et tanti quondam iussa timete ducis.
Nec facite, ut populum cum uenerit ille, rebellem
Cernat, & ad leges pectora surda nouas.
Tempus enim ueniet cum spreti numinis ultor,
Supplicio fontes puniet ipse graui.
Et fretus patriæ diuino numine dextræ
Opprimet insanas uimq; minasq; uirum.
Altaq; suspendens superatis hostibus arma,
Virtutis ponet clara trophæa suæ.
Ac licet æumnas hominum perferre iubetur,
Atq; idem nostræ fata subire necis.
Hunc tamen ad superos deuicta morte reducet,
Et regum summo ponet honore pater.
Huius & arbitrio leges uitæq; necisq;
Stabunt, hic Dominus totius orbis erit.

F I N I S.

PSALMVS

L A V D A T E D O

M I N V M O M N E S

gentes .

Q Vã patet extremum tellus habitata sub axem
Quãq; per immensi littora uasta maris .
Aetherei laudem populi celebrate tonantis
Gloriaq; in toto personet orbe Dei .
Qualis enim nostros uenit miseratus ab alto
Casus ? quam patria nos pietate fouet ?
Qua nos è medijs scelerati sordibus æui
Sublatos , regno collocat ipse suo .
Et quos infœlix tenebrofi pœna manebat
Carceris , & stygiæ uincula dira necis .
Hos ille asseruit cœlo , superùmq; beatis
Sedibus , æternum uiuere posse dedit .
Pactaq; dum præstat patribus iurata uetustis
Mutauit placida tristia , pace , mala .
Neu foret ulla sui posthac dubitatio Verbi ,
Atq; eadem dictis esset ubiq; fides .
Quare agite , æthereum populi celebrate parentem ,
Et resonet toto nomen in orbe Dei .

B 5

PSALMVS

ECCE QVAM BONVM.

Omnibus humanis præstat concordia rebus,
Dulcius hæc nihil est, utiliusq; nihil.
Nec magis, ambrosio quondam liquentia melle,
Spirant, cara tui Balsama Iuda soli.
Balsama Leuidæ quæ summo uertice patris
Manant, & suau membra liquore rigant.
Aut etiam, arentes urit cum Sirius agros,
Et longa pereunt gramina fessa siti.
Gratior è celsa Lybani ros funditur arce,
Qui reparet pluuiâ torrida prata sua.
Quàm scælix hominum aspirat concordia rebus,
Et male quassatas fulcit & auget opes.
Summus enim liquidi, qui cœli regna gubernat,
Quiq; regit terras & freta longa, pater.
Respicit ex alto concordēs æthere mentes,
Et iunctas firma pacis amicitia.
His largitur opes, & longa tempora uitæ,
Auet & optata posteritate domum.
His dulces unas, & letas præbet aristas,
Et quodcunq; boni, commoda pacis habent.

Nec

P S A L M V S.

*Nec sinit ut timidos ullis fortuna procellis
Obruat, aut scui militis arma premant.
Sed patria placidas pietate tuetur, & inter
Temporis, ac rerum mille pericla tegit.*

PSALMVVS

LAVDATE PVERI DOMINVM.

Divinum superi nomen celebrate parentis,
Omnes, quos graubus sors premit atra ma-
Neu cessate Deo, praeconia dicere laudum, (lis.
Tempora dum coelum, dum reget hora diem.
Sed quam lata patent, magni confinia mundi,
Inter fulgentis Solis utranq; uiam.
Aeternum Domini canite & memorabile numen,
Atq; sub extremi sydera ferte poli.
Nam quis adhuc toto Domino par extat in orbe?
Aut saltem dici proximus esse potest?
Cuius & excellit gentes immensa potestas,
Quae' ue colunt terras, & quora quae' ue colunt.
Gloriaq; astriferi transcendit culmina caeli,
Clara magis curru lucide Phoebe tuo.

P S A L M V S.

Atq; sedens alti super ipse uolumina mundi
Vlterius sensu quam penetrare licet.
Et tamen ex illa mortales respicit arce,
Atq; hominum affectas, inde tuetur opes.
Erigit afflictos, & de squalore, situq;
Alleuat oppressos, auxilioq; iuuat.
Et quos dira fames quondam atq; immitis egestas
Moenibus & patria destituere sua.
His internatos, & dulcia pignora uitæ
Lætitia donat prosperiore frui.
Nec finit ut seuis penitus fortuna procellis
Obruat, aduersis pectora fessa malis.
Sed tandem solidæ præbendo gaudia pacis,
Cum populis regni collocat ipse sui.

PSALMVVS

ECCE QVAM BONVM.

Optima cunctarum longe est concordia rerum
Quæ parit innumeris gaudia mixta bonis.
Namq; uelut Solymis redolent nascentia terris,
Atq; salutifero balsama rore fluunt.

Balsama

P S A L M V S.

Balsama quæ sacro stillant Aaronis ab ore,
Atq; replent totum corpus odore senis,
Aut uelut arenteis reficit ros humidus herbas
Excelsa Lybani, quisquis ab arce uenit.
Letali quoties exurit Sirius æstu
Campos, & flammis proterit arua suis.
Sic hominum tenues reparat concordia uires,
Et secum multis commoda rebus agit.
Nam pater ex alto, qui cœli uertice regnat,
Qui tenet imperio cuncta creata suo,
Diligit è cunctis, placidoq; fauore tuetur
Mutua quos pacis, iunxit amore fides
Illis ex alto fortunam præbet Olympo
Et cumulat multa prosperitate domum.
Illis & natos & pignora cara nepotum,
Multaq; magnarum gaudia donat opum.
Et regit euentus, & cursus dirigit omnes,
Et mala depellit numine cuncta suo.
Dum placidam uitæ contingant tempora metam,
Et ueniat sero grata senectæ pede.

F I N I S.

Haganoæ, per Iohannem Secerium.
Anno M. D. XXIX.



AB: 67 $\frac{10}{c, 14}$

ULB Halle


3


003 932 257



5b.

102.





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black



223

